



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. III. In quo posita sit, & quanta esse debeat exuperatio amoris erga Deum, præ amore erga nos ipsos. Tres proponuntur illius gradus: déque primo agitur: qui est, quo vis bono spoliari, & quid vis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

morbum hunc esse ab hæreditaria Adami noxa in ipsis productum. Quo tamen nequidquam obistente, naturalis ratio clara voce testatur, non sui, sed DEI amorem illum esse, cui dominatus in hominis voluntate conveniat: quique instar primariæ, & universalis regulæ modum, rationem, ac mensuram præscribere quibuscunque aliis rerum creaturarum amoribus debeat.

CAPUT III.

In quo posita sit, & quanta esse debeat exuperatio amoris erga DEUM præ amore erga nos ipsos. Tres proponuntur illius gradus: de quo primo agitur, qui est, quo vis bono spoliari, & quidvis malorum pati citius velle, quam DEUM gravi culpa offendere.

Duo sunt modi, quibus unum quidpiam plus amari altero potest: vel scilicet secundum affectionis vehementiam, ut quando incitatori, & magis sensibili motu in illud, quam in alterum, tendit voluntas, vel se-

secundum æstimationis vim, ut cum data optione unum præ altero eligitur. Qui modi, uti inter se differunt, differentibusque è causis proveniunt, ita non semper in ejusdem objecti amore simul, pariterque concurrunt: sed non raro contingit, ut aliquid minori in æstimatione habitum suavius, flagrantiusque ametur; vel contra vehementiori cum amoris sensu dilectum in electione alteri posthabetur. Sic inter duos filios, alterum pusionem venusti oris, festivæque, & amœnæ indolis; alterum juvenem, non vulgaribus naturæ ornamentis, præfidiisque ad res gerendas instructum, si amoris mensura ab affectu petatur; primus patri esse charior videbitur; cum ille plus delectationis ex præsentia ejus capiat, blandius ei arrideat, suasque omnes in eo habeat delicias. At si contra æstimatio attendatur, quivis facile dixerit, solido, & efficaci hoc amore secundum plus diligere; cum eum pater respiciat, velut præcipuum suarum fortunarum, ac domûs suæ fulcimentum: nec dubitaturus sit, si ita res ferret, alterius jacturam pro incolumitate, & conservatione illius facere. Jam utroque ex his modis DEUM amare plus nobis debemus: amare plus nobis eorum primo: ita ut majori cum intentione

sio-

sione exerceamus erga illum, quam erga nos, interiores actus gaudii, desiderii, & quorumcunque aliorum affectuum, qui concipi ab amantibus solent: & amare item plus nobis secundo: adeò ut, quotiescunque occasio se dederit, illius voluntatem, & gloriam quibuslibet nostrarum rerum utilitatibus præferamus. Sed circa primum nil opus est michi diutius hære, cum in præcedenti libro, cujus materia affectiones amoris proprias erant, de illo sat egerim: ostendens, quanto vehementius erga DEUM, quam erga nos, & quæcunque alia objecta affici debeamus. Unum itaque id superest, ut de secundo agere instituam, qui utpote practicus suum juxta divisionem initio operis factam hic propriè habet locum.

2. Quoniam verò superiori capite jam probavi, DEUM esse hominibus plus quavis re alia, seque adeò ipsis amandum; necessarium mihi a bitror, explicare, quantum esse, & quousque progredi in actuoso hoc ejus amore illud plus debeat. Manifestum quippe est, posse hominem pluribus modis DEUM sibi in amando præferre: qui modi non ejusdem omnes perfectionis sunt; sed adeò inter se impares, ut aliquis solius præcepti obli-

obligationem impleat, alius ultra illam pro-
grediatur, alius neque ad faciendum ei satis
pertingat. Utque id, quantum ad postre-
mam hanc partem, quæ una novi quid, ac du-
bii videtur præferre, luculenter perspicias;
proponere tibi aliquem, qui amore DEI im-
pulsus, conditionalem huiusmodi actum con-
cipiat, si in eventu imaginario, & prorsus
impossibili ad conservandam DEI existentia-
m, vel augendam beatitudinem, necesse es-
set me in nihilum redigi; libentissimè elige-
rem prædictum illius bonum extremo hoc
meo impendio mercari. Quid de isto ho-
mine tibi videtur? Poterisne ire inficias,
DEUM ab ipso plus aliquatenus, quàm se
diligere? Haud equidem poteris. Cum nul-
lum sit certius indicium, unde arguamus, a-
liquem ex duabus personis, vel rebus hanc
plus alterâ amare; quàm si eum viderimus,
pro hujus conservatione alterius interitum,
aut jacturam eligere. Et tamen, quàm cer-
tò constat, eum aliquo modo amantiorem
DEI, quàm sui esse; tam facilè apparet, illum
DEI amorem certius justo esse, nec præ-
cepti mensuram implere, ceu qui cum vo-
luntate DEUM graviter offendendi queat si-
mul componi. Fac enim, eundem homi-
nem

E

nem

nem in necessitate vel divinæ Legis violandæ, vel mortis obeundæ constitui : næ à prædicto erga DEUM amore inhiberi non factum poterit, quin retinendæ vitæ studio ad divinæ Legis violationem induci se finat : utpote ad rem, quæ nullo pacto adversatur existentia, ac beatitati divinæ, solis DEI bonis ab eo supra semet ipsum amatis, sed uni tantummodo officit externæ DEI gloriæ, minimo scilicet illius bono, neque intrâ sui amoris objecto comprehensio : cui propterea non apparet, cur nequeat suam vitam præoptare quamvis cæteroqui paratissimus sit, excellentioribus aliis, & summis DEI bonis eandem postponere. Similiter ac, si aliquis pro amici vita tuenda paratus animo esset, suum omnem censum impendere; non tamen ab hac sua voluntate impelleretur, ad levius aliud quod illius bonum eodem sumptu emendum putà ad convivium, vel magnifici spectaculi genus ipsi adornandum : sed posset, quamvis intrâ dictam mensuram amare illum pergens à supervacuis hujusmodi illius oblectationibus tanto suo impendio procurandis alienum se ostendere.

3. Quandoquidem igitur ad respondendum & DEI meritis, & nostræ obligationis

hau

haud fatiſ eſt, eum quomodolibet plùs nobis amare, præferendo videlicet bona illius noſtris, intrà idem genus, ceu exiſtentiã exiſtentiã, & vitam vitæ, imò in diſpari etiam genere, veluti unicũ illius ſapientiæ, aut beatitudinis gradum toti noſtrorum bonorum ſummæ; quænam juſta erit meſſura eum amandi plùs nobis? Dicam breviffimè. Amandus eſt à nobis ultra omnem proportionem, ac meſſuram plùs nobis: adeò ut vel minimum inter illius bona, exteriorẽ videlicet apud homines gloriam, noſtris omnibus, quæ ſumma etiam ducuntur, bonis, famæ, valetudini, libertati, ſapientiæ, lætitiæ, ac vitæ præhabendum putemus: promptiffimi ad hæc omnia ultro abdicanda, dummodo id illi integrum maneat. Neque ità eum amare gratuitæ liberalitatis genus, ſed debiti officii ſolutio eſt: prout liquidò apparet ex rationibus ſuperiori capite allatis, nimirum ex eo, quòd ipſe amabilitatis infinitæ objectum, ultimusque rerum omnium creatarum ſit finis: cum uterque ex his titulis apertiffimè oſtendat, debere à creato quovis ente plùs quàm ſe amari, nec plùs quocunque ex ſuperationis modo, ſed eo, quo reperiri ulterior nequeat, & qualem nos paulò antè indicavimus.

E 2

Nata

Nam primò tanta est finis dignitas, omnemque adeò rerum sui gratiâ factarum dignitatem supergreditur, ut quodlibet harum detrimentum, imò etiam vel omnimoda, & extrema consumptio haberi pro nihilo mereatur, si cuilibet, quamvis minimo, ipsi bono conducatur. Ac proinde, cum homo finis, in cuius utilitatem corporeæ quævis substantiæ procreata à DEO sunt, nihil penitus si habet jam unam earum, jam aliam, quod tunc id sit ex suo usu, destruere. Unde colligendum cuius relinquo, si æquum ipse arbitratur, tantò se impensius productis causâ sui rebus diligere, ut qualecunque suum oblectamentum, aut commodum ipsi finet earum existentia anteponat; æquum item esse, ut DEUM suum ultimum finem tanto intervallo supra se amet, ut & minimè ex illius bonis maximo cuique suorum bonorum præhabeat. Sed melius adhuc idem perspiciet, si animadvertat, DEUM non modò suum esse ultimum finem, verùm etiam infinitæ amabilitatis objectum. Tale quippe agnoscens, non poterit, quin fateatur, eum infinitè amabilorem creatura quavis re esse: dignumque, ut creatum quodcumque ens exuperatione, non tanta duntaxat

vel tanta, sed determinatum omnem modum transcendente, plùs se ipso illum amet. Certè, ubi quidpiam infinitè bonum, pulchrum, perfectúmque est; quantumcunque voluntas finita conetur, & lièt totam se, virésque suas omnes in eo magis, ac magis amando exerat; nunquam tamen concipere amorem poterit, qui, non dico, illius amabilitatem adæquet, sed minùs quàm infinita intercapidine infra illam subsistat. *Non vereor, in amore nè modum excefferim.* (vel de naturali, ergaque homines amore aiebat Plinius) *Neque enim periculum est, nè sit nimium, quod esse maximum decet: utque ego in re nostra addo, quod esse infinitum decet.* (Ep. 24. L. 8.)

4. Constituto jam, opus esse, ut ad DEUM dignè nobis in amore præferendum, vel infimum ex ipsius bonis, exterior nempe ipsius gloria, maximo quo vis nostro bono impensius ametur; adeò ut ambobus in contentionem venientibus illa semper præ omnibus his eligatur; facilè nobis porro erit, ex variis inferioribus aliis, aliisque superioribus divinæ gloriæ gradibus varios, paritèrque inæquales gradus deducere, per quos in DEO supra nos ipsos amando altiùs possimus, altiùsque confurgere. Nam, veluti a-

liqua supremi illius Domini gloria est, si exactè observentur leges sub extremæ indignationis suæ pœna ab eo promulgatæ; & major gloria est, si debita iis quoque legibus obedientia præstetur, quæ cæteroqui sinè gravi ipsius offensione violari possent; & summa gloria est, si quæcunque ejus voluntas, quamvis nulla lege sancita, neque ullam obligationem inducens, non minori cum sedulitate impleatur, quàm si legis vim, nexumque obtineret, sic illam nos possumus secundum unumquemque prædictorum trium graduum plus nobis diligere. Possumus primò quantum ad illius infimum gradum, per firmissimam voluntatem, quodvis citius seu bonum abdicandi, seu malum patiendi, quàm graviter contra DEI legem peccemus. Possumus secundò, quantum ad medium, per simile animi decretum, amittendi quidquid amitti, & tolerandi quidquid tolerari potest, nè DEUM vel per levi quapiam illius legis violatione offendamus. Possumus tertio quantum ad supremum, per voluntatem æquè certam faciendi quæcunque etiam citius ullius legis obligationem DEO placere agnoverimus, quamvis propterea, quidquid maximum chari est, repudiare, quidquid maximum asperi subire oporteat.

s. Ho

5. Hos porrò diversos, & impares divi-
 næ gloriæ, ac proinde etiam DEI amores,
 si comparare invicem libeat, videbimus.
 Primum severissimè omnibus præcipi, nec
 posse citra capitalem noxam, æternæque
 mortis reatum omitti. Secundum præcipi
 & ipsum quidem, sed non adeò severè, ut,
 illum omittens, plùs quàm levis delicti, &
 temporariæ pœnæ reus fiat. Tertium deni-
 que nulli præcepto esse obnoxium, neque
 ex ullo culpæ, aut pœnæ metu, sed ex libero
 tantùm majoris perfectionis studio exerceri.
 Perspiciemus insuper, quemcunque ex pri-
 oribus posse concipi absque ullo sequentium,
 primum scilicet absque aliis duobus, & secun-
 dum absque tertio: at nullum contra poste-
 riorum esse, quin necessariò præcedentes re-
 quirat, & in se ipso virtualiter saltèm conti-
 neat, secundus, videlicet primum, & utrum-
 que horum tertius. Fieri quidem poterit,
 ut, cui certum, deliberatùmque est, extrema
 omnia perpeti, quandocunque id necessari-
 um sit ad gravem DEI offensam vitandam,
 non etiam deliberatum idem sit, ubi illa per-
 peti oporteat, quò ipsi nè leviter quidem
 displiceat, aut quò magis tantùm placeat:
 útque, qui paratus est, sua omnia seu com-

pendia, seu dispendia prorsus negligere, nè DEUM ulla in re, quamvis minima offendat; paratus quoque ad eandem rerum suarum despicientiam sit, nè ulla in re, quamvis libera, & indifferente illius voluntatem exequi omittat. At nunquam contrà eveniet, ut quisquam vel universis rebus suis merum DEI placitum præferat, multò minùs ut præcepta illius anteponat, vel ultra omne suum malum levissimas quasque DEI offensionculas oderit; quin graves, ac mortiferas eodem, majorique etiam odio aversetur. Agnoscemus postremò, quemvis sequentium perfectiorem esse, secundum scilicet primo, & ambobus tertium: tum quia Christianæ totius perfectionis consilia, quæ tertius pro scopo suo habet, latiùs patent præceptis, quorum observantiâ duo priores contenti sunt: latiùsque itèr præcepta, culpas veniales prohibentia, quæ secundus implere contendit, præceptis gravia interdicientibus crimina, quæ unica sunt primi materies: tum quia enixioris specimen amoris est, quanto vis suo impendio vel ipsis personæ adamatæ oblectamentis, & commodis, quàm necessariis tantummodo usibus, ac negotiis servire; ut patet in exemplo trium hominum, qui pa-

rati sint, omnes suos census in amici gratiam expendere : sed unus, nè gravi is detrimento afficiatur ; alter nè leve aliquod incommodum subeat ; tertius nè ullo ex concupitis sibi bonis frustretur. Quos inter, si de amoris præstantia disceptatio sit, nemo erit, quin secundum primo, & utrique ex his tertium anteferat.

6. Per hosce ergo tres gradus ad summam practici, operosique erga DEUM amoris perfectionem oportet nos niti : incipiendo ab eo gradu, qui maximè necessarius, facilisque est : nimirum à supremo nostro Conditor, propter infinitam perfectionem, & pulchritudinem suam, usque adeò plus cæteris rebus universis, nobisque ipsis amando, ut paratissimi simus, quidvis potiùs & bonorum dimittere, & malorum pati, quàm debitam ulli ejus graviori præcepto obedientiam negare : gradu sanè tanti momenti, ut, nisi eo consensu, nemo queat legitimam divini amoris mensuram implere : prout colligere licet ex Christi Domini verbis apud S. Joannem, tum capite decimo quarto, ubi pronuntiat : *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Si diligitis me, mandata mea servate* ; tum in proximè sequenti, ubi

idem confirmat, subjungens; *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in dilectione ejus.* Quo utroque in loco cælestis Magister fidelem præceptorum DEI observantiam pro argumento, & conditione veri erga ipsum amoris attulit: & in posteriori suo etiam declaravit exemplo, qualis, quàmque perfecta hæc in nobis observantia esse debeat: tam firma nimirum, & propositi tenax, ut ad omnes illius partes implendas nec labores, nec pericula, nec insectationes, nec probra, nec cruciatus, nec mortem refugiamus: quemadmodum ipse ad exhaurienda dilecti sui Patris mandata nihil horum refugit, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

7. Hinc videmus veros omnes DEI servos, atque amicos pro sanctitatis suæ fundamento altè in anima defixisse, & defixum perpetuò servâsse decretum immobile exequendi quovis pacto, & quantocunque cum rerum suarum dispendio, quidquid DEUS severè, districtèque imperaret: nihil pensi habentes, nè dilectum suum Dominum, denegatâ suis imperiis obedientiâ, graviter offenderent, omnium, quæ charissima homi-

ni sunt, jacturam facere, nullisque non æ-
rumnis, & ipsi adeò morti se offerre: sed ubi-
bique servantes illam D. Augustini regulam,
(Tr. 51. in Joa.) *Cùm ergo causæ articulus ve-*
nerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum
esse contra DEI præceptum, aut ex hac vita emi-
grandum: quorum duorum homo, si cogatur al-
terum eligere, comminante mortem persecutore;
ibi eligat, DEO dilecto emori, quàm offenso vi-
vere. Quòdque operis meritum, & laudem
auget, ità se gessere, *non ex tristitia, aut ne-*
cessitate, tanquam si pœnæ metus invitos alio-
qui, & resistentes compelleret, sed *corde ma-*
gno, & animo volenti, quia supremum Legis-
latorem, respectùque illius positas quoque
ab eo leges intimè amabant. Qualem fuisse
Regium Prophetam fidem faciunt repetitæ
illæ toties in Psalmo 118. prædicti amoris si-
gnificationes: *Quomodo dilexi legem tuam Do-*
mine? Tota die meditatio mea est. Levavi manus
meas ad mandata tua, quæ dilexi. Et ambula-
bam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.
Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam
mandata tua. Bonum mihi lex oris tui super mil-
lia auri, & argenti. Et qualem se declara-
bat B. Catharina Genuensis, dum Deo pro-
fiteretur, (In Vit. c. 29.) *O amor! si alii u-*
ni

unica obligatione adiguntur præcepta tua exequi, ego non unicam, sed decemplicem mihi imponi eorum exequendorum obligationem volo, quia suavitatis usquequaque, & amoris sunt plena. Ità, ità profectò animæ illæ divino amore æstuantibus dicebant: chara hominum approbatio, & benevolentia est: sed ô quantò DEUS charior? dulcis naturalium appetitionum expletio: sed ô quantò dulcior DEUS? Amabilis libertas, & principatus: sed ô quantò DEUS amabilior? Necessè agetum nobis sit, si sanctas ipsius leges renuamus perfringere, fortunis omnibus spoliari, ærumnosam in compedibus, & tetri carceris squalore vitam traducere, nullo non contumeliarum genere affici, tanquam purgamenta hujus mundi fieri, pèrque acerbissimos, & naturæ intolerabiles cruciatus mortem obire. Quid refert? Ad hæc omnia pro ipso subeunda paratissimi sumus. Hæc omnia nihili pendimus, dummodo sartam tectam tueamur, quam ipsi debemus, obedientiam, & fidem, Ubinam estis Antiochi? ubinam Diocletiani? ubi Sapores? ubi Genferici? ubi quidquid vel in terris carnificum, vel sub orco dæmonum est? Adestedum, facturi periculum, plúsne apud nos vestræ timor sævitæ, an di-

vinæ amor bonitatis valeat : nūmve inferre nobis quidquam mali possitis, quo non multò magis perhorrescamus infideles cælesti nostro Domino esse. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? &c. sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certi enim sumus, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo JESU Domino nostro. (Ad Rom. 8.)*

8. Talis fuit (ut aliquos nominatim recenseam) Joannes Chrysoströmus, de quo Eudoxiæ Imperatrici, immaniter contra ipsum furenti, & extrema omnia comminanti, non verè minùs, quàm libere quidam ex ejus famulitio dixere, nequidquam certamen ab ea adversùs hominem suscipi, qui nihil pro malo haberet, formidarètque, præter DEI offensam. (*Sanjur. in Arar. p. 2. c. 7. Sect. 18.*) Talis adolescens integerrimus Joseph, qui longè satiùs duxit effrontis dominæ iras, calumniásque in perniciem suam irritare, & quidquid sibi proventurum indè esset infamix,

mix,

miæ, atque ærumnarum subire, quàm peccare in DEUM suum. (Genes. 39.) Talis Susanna, conjugialis pudicitæ rarissimum specimen, quando inter mortem, Deique offensam constituta, nîl dubitavit, præ hujus horrore in illius fauces irruere, imperterrito animo sollicitantibus suam fidem respondens: (Dan. c. 13.) *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Talis sanctissimus Vates Isaias, qui jussus à DEO per publica Hierosolymæ compita omnino nudus concionari, nulla habita seu naturalis suæ verecundiæ, seu popularium sermonum ratione, ad tres dies, insolentem illam, probrosamque sui speciem vulgo exhibere perrexit, *nihil DEI præceptis honestius judicans*: prout in heroicæ illius obedientiæ commendationem scripsit D. Hieronymus: (In cap. 20. Is. Vide Corn. à Lap. Ibid.) Tales Machabæi septem fratres, si ætas spectetur, imbelles pueri; sin verò animus, heroës veteranæ virtutis, qui Antiocho Regi præsentem mortem, & graviora ipsa morte supplicia intentanti, nî sacrilegis suis jussis parerent, impavidum hoc unius ore omnes reddiderunt responsum: (L. 2. Mach. c. 7.) *Quid quæris? Et quid vis discere à nobis?*

Parati sumus, mori magis, quàm patrias DEI leges pravaricari. Tales demum Stephani, Ignatii, Clementes Ancyрани, Laurentii, innumerique alii Martyres, usque adeò DEI amantiore, quàm sui, ut, nè illum debito cultu, atque obsequio fraudarent, sua ultro corpora ferro, igni, lapidibus, belluis, & sævissimo cuique mortis generi obtulerint: palàm facientes, quantò horribilior humano omni malo esse debeat iis, qui DEUM ex toto corde amant, gravis quæque ejus offensio: quàmque, ubi de illius exequendis imperiis agitur, nulla nobis rerum nostrarum habenda sit ratio. Sed quoniam de primo hoc amoris gradu satis jam in præcedenti libro differui, tempus me admonet, ut prolixiori ejus tractatione ommissa de altero agere instituam, ad quem in DEO plus amando progredi nos debere affirmavi.

